



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Compendiosa Praxis Beneficiaria**

**Nicolarts, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Dvbivm VII. Quid censendum de Vicariis perpetuis, & an per concursum conferri debeant?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

## DUBIUM VII.

Quid censendum de Vicariis perpetuis, & an per concursum conferri debeant?

Ordinis  
ratio.

§. I. **Q**uia de Vicariis perpetuis aliquid *suprà* insinuavimus, materiæ ratio & connexitas exigit, ut eorum nomen, naturam & conditionem paulò fusiùs explicemus.

Vicarius  
quis dicatur.

§. 2. Vicarius, omisâ eius nominis in iure Cæsareo variâ acceptione, quæ videri potest apud *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 1. & seq. & Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 1.* propriè dicitur à vice, quod vicem alicuius gerat: cum enim quis rebus suis interesse, vel superesse non potest, Vicarium sibi in ijs constituit, per quem quæcunque gesta fuerint, perinde habentur, ac si per ipsum constituentem expedita fuissent, *reg. qui facit per alium. 72. de reg. iur. in 6.* Quamquam hoc loco non tam latè accipiatur nomen Vicarii, ut denotet eos omnes, qui quoquo modo vices alienas obeunt in functionibus Ecclesiasticis, sed strictiùs pro eo scilicet, qui officium Ecclesiasticum, quod alteri Ordinario iure incumbit, ipsius nomine exercet.

Vicarius  
duplex.

§. 3. Duplicis autem generis sunt Vicarij, alij perpetui *c. ex parte. 6. de off. Vicarii. c. extirpanda. 30. §. qui verò. de praben. c. G. perpetuus. 12. de fide instrument. c. 1. de capell. monach. alij temporales c. pervenit. 28. de appellat. c. cum ex eo. 34. de elect. in 6. c. 2. de atate & qualitate. extranag. execrabilis. §. quantum autem.* Perpetuus dicitur, qui canonicè, id est, auctoritate Episcopi Dioecesani constituitur in aliqua Ecclesia Parochiali, cum certa & congrua portione annua, tanquam laboris & operæ mercede, ex proventibus ipsius Ecclesiæ; quæ hodie ex Constitutione Pii Papæ V. *infra hoc dub. §. 12. adducenda*, ita determinata est,  
ut non

ut non sit major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum, seu aureorum summa, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis: adeoq; quotidianas distributiones numerandas censet *Gonzalez ad reg. 8. §. 7. proem. num. 185.* Si verò redditus Ecclesiæ Parochialis non excedant quinquaginta scuta, tum omnes fructus Vicario assignandi sunt. Quod intelligi debet de scutis, vel aureis duodecim Iuliorum, *Gratian. discept. foren. tom. 1. cap. 51. num. 17.* Sic à sacris Canonibus permittitur habenti Parochialem Ecclesiam suæ vel dignitati, vel Præbendæ annexam, substituere sibi Vicarium idoneum & perpetuum auctoritate Episcopi *d. c. extirpanda. §. qui verò. & c. de monachis. 12. de præben. Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 5. & 7. & sess. 25. de reform. cap. 16.* ubi idem permittitur Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque, quæ beneficia Ecclesiastica curata perpetuò sibi unita & annexa habent.

§. 4. Cæterùm Vicarius ejusmodi semel canonicè, ut dixi, <sup>Vicarius</sup> id est, auctoritate Episcopi constitutus, non potest per pro- <sup>perpetuus</sup> prium Ecclesiæ Rectorem, aut ejus successorem removeri, <sup>non potest</sup> aut portione sibi assignatâ fraudari, <sup>ad libitum</sup> *d. c. extirpanda. §. qui verò.* <sup>removeri.</sup> *de præben. c. adhac. 3. & ibi gloss. verb. remove. de off. Vicarii. Clem. unica. eod. tit. de præben.* Licet aliàs mandatum revocari possit pro arbitrio mandantis. Imò nec Episcopo permittitur eidem administrationem auferre, nisi justis de causis, ut colligitur ex *c. adhac. 3. de off. Vicar.* quia scilicet vicariatus perpetuus non habet te instar simplicis mandati, sed instar beneficii; Vicarius enim perpetuus non potest constitui sine erectione tituli Vicariæ perpetuæ, ut respondit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum apud *Zerolam in pract. Episc. part. 2. verb. vicarius. num. 7. Garclam de benef. part. 11. cap. 2. num. 15. Barbof. de jure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 4.* Vnde Vicarius perpetuus ipso jure censetur beneficiarius *c. G. perpetuus. 12. de fide instrument. gloss. in c. 1. verb. in diversis. de off. Vicarii. c. Michael. 13. de filiis presbyt.* ejusq; officium refertur inter beneficia in *c. postulasti. 27. de rescript. & penes eundem est cura*

animarum, *Abbas in d. c. extirpanda. §. qui vero.* Ideoq; curatus primitivus non potest, nec debet Sacramenta conferre; indeq; fit, quod Vicarius, sicut & quilibet alius in beneficio auctoritate Episcopi sibi collato institui debeat, *c. ex frequentibus. 3. de institut.* Semelq; institutus, temerè & sine causa, ac præter juris ordinem non sit amovendus; ut neque quisquam beneficio privandus est; quodq; quis nequeat esse Vicarius in diversis Ecclesiis *c. 1. & 2. de off. Vicar.* aut sibi alium Vicarium perpetuum substituere juxta communem sententiam, sed per se ipsum deservire compellendus est, *c. ult. de off. Vicar.* cum hic spectetur industria personæ: ad tempus tamen justa de causa licet, *Abb. in c. clericos. 4. de off. Vicar.*

*Vicarius temporalis quis dicatur.*

§. 5. Vicarius temporalis est, qui in locum alicujus ad tempus Episcopi auctoritate substituitur, iustâ subsistente causâ, puta, ob peregrinationem ad loca pia, infirmitatem, aut iustâ absentiam ab eodem Episcopo cognitam & approbatam, graves occupationes, imperitiam, turpem & incorrigibilem vitam, aut suspensionem, privationem, vel mortem Parochi, seu beneficiati: item ob religionis ingressum durante novitiatu, vel si ob aliam aliquam causam, veluti necessitatem, utilitatemve Ecclesiæ, deservire suæ Ecclesiæ non possit, de quibus vide *c. fin. de voto. c. de rectoribus. 3. de cleric. agrot. c. relatum. 4. de cleric. non resid. & c. cum ex eo. 34. de elect. in 6. Concil. Trident. sess. 6. de reform. cap. 2. sess. 7. de reform. cap. 5 & 7. sess. 21. de reform. cap. 6. nec non sess. 24. de reform. cap. 18. Gregor. Tholosan. tract. de benef. cap. 7. à num. 9. usque ad fin.*

*Vicarius temporalis non est beneficiatus.*

§. 6. Cùm autem ad tempus dumtaxat hic Vicarius constituatur, non habet se instar beneficiarii *gloss. in extravag. excommunicabilis, de Præben.* sed iure penes Rectorem principalem manente, penes Vicarium solummodò est functio & administratio, quam exercet nomine alterius, & quæ expirat morte Rectoris principalis, ad cuius etiam nutum, & absque causa revocari potest, *Abb. in d. c. extirpanda. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 35. & seq. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. n. 65. Rota inter impress. apud Coccin. decis. 18. num. 13.*

§. 7. Et ad eum modum se habent Religiosi, qui à superioribus

ribus, prævio Episcopi examine, in Ecclesiis ipsorum monasteriis unitis & annexis constituuntur Vicarii ad nutum ipsorum amovibiles, ex *Piana Constitutionis infra* ponendæ præscripto, à quo nec dissonat *Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 7.* cum nec iura antiqua permetterent monachos parochos, aut Vicarios perpetuos esse, ex vi professionis & obedientiæ superioribus debitæ; unde & modò adhuc obedientarii vocantur; sed sæculares Sacerdotes iis præficiendos jubeant. *c. monachi. 2. c. cum ad monasteriũ. 6. §. tales. de statu monach. c. 1. de capell. monach. Clem. unic. de supplen. neglig. prælat. Rot. apud Coccin. cit. decis. 18. n. 6. & seq. V. Ames. consil. canon. tom. 1. consil. 65. n. 11. 12. 13. & seq. Layman. Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 5. num. 8.*

*Vicarij Religiosi Vicarii constituti.*

§. 8. Nece a *Pii* apæ *V.* Constitutio in hoc revocata fuit à *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo *Constit. 9. Bullarii tom. 2.* sed potius revalidata, ut censuit *S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini* interpretum ad *sess. 7. cap. 7. de reform.* ut nimirum Episcopus Diœcesanus ad nominationem Regularium deputer unum ex ipsis, prævio examine à se approbatum, & ad nutum eorundem amovibilem, cui unus dumtaxat socius cohabitaret, ne plures extra claustrum maneant. *c. quod Dei timorem. 5. & ibi gloss. verb. regimen. de stat. monach. & c. ult. de capell. monach. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 79. Quarant. in sum. Bullar. verb. vicarius. Zypaus in consultat. canonic. lib. 3. de instit. consultat. 1. & in respons. de iure canonico. lib. 5. tit. de privileg. respons. 3. Barbof. de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 9.*

*Ex Piana Constitutione, quæ à Gregorio 13. non fuit revocata.*

§. 9. His positis, Respondeo primò, Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarũ dignitatibus, Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, Monasteriis, Collegiis, aut aliis piis locis, (de manualibus enim hîc non agimus, nec de eis *Papa* unquam disponit, *Rot. decis. 704. num. 1. part. 2. recent.*) minimè cadunt sub Concordatis Germaniæ, aut Regulis reservatoriis Cancellariæ Apostolicæ; quia dispositio de huiusmodi vicariis in omni etiam mense spectat ad illos, quibus dictæ Parochiales sunt unitæ, etiam si sint monialium monasteria, ex Constitutione *Pii Papæ V.* quæ concedit ipsis Ordinariis, seu illis, quibus Ecclesiæ sunt unitæ, liberam nominationem ad earum vicarias

*Vicariæ perpetuæ non cadunt sub Concordatis Germaniæ.*

rias indefinitè, & absque aliqua temporis, vel mensium distinctione, adeoq; in omnibus mensibus anni etiam reservatis, fuscè Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 59. 60. & seq. Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 2. num. 289. & seq. & num. 308. & seq. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 45. Rota d. decis. 704. num. 2. & decis. 777. num. 1. part. 2. recent. Et cum dicta Constitutio Pii V sit facta per viam legis generalis, non revocatur per Regulas Cancellariæ, Gonzalez supra num. 72. Sed & capit vicarias tam ante, quam post Concilium Tridentinum erectas, & in titulum dari solitas, Gonzalez loc. cit. num. 75. quidquid dubitaverit Garcias loco præcit. num. 313. ita Rota ead. decis. 777. n. 2. nam eadem militat ratio in his, atque in illis, licet verba dictæ Constitutionis contrarium suadere videantur; quia magis inhærendum est rationi legis, quam verborum cortici c. intelligentia. 6. & c. propterea. 8. de verbor significat. l. scire oportet. 13. §. aliud. ff. de excusat. Gonzalez supra num. 76. Quin illud jus nominandi Vicarios non est jus patronatus Ecclesiasticum, cui ceteri posset derogatum, sed est jus nominandi competens de jure communi juxta c. 1. de capell. monach. quod est inderogabile: imò vocatur collatio seu tituli collativum, quia continet in se institutionem, & illa Ordinarii Episcopi Diocesani, est solùm auctorizabilis respectu curæ animarum, seu nominati vicarii approbatio, Rota decis. 102. num. 1. part. 1. recent. & apud Cavaler. decis. 599. num. 1. Vnde ex præscripto antedictæ Piane Sanctionis, ejusmodi Vicarii deputari debent prævio Episcopi Diocesani, aut ejus in spiritualibus Vicarii Generalis examine & approbatione, nec non novam à Sede Apostolica obtinere provisionem, & literas desuper expediri curare, atque annatam solvere, si fructus sine distributionibus, 24. ducatos de camera excedant, antequam ad possessionem admittantur; & quanquam Gonzalez supra num. 52. teneat novam hanc provisionem necessariò impetrandam, in quocumque etiam mense dictæ vicariæ vacaverint, verius tamen sentire videtur Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 45. sub fin. id restringens ad menses Apostolicos tantum.

§. 10. Ex

§. 10. Ex his porrò conclude, hujusmodi vicarias non ca-  
dere sub Indultis conferendi, etiam Vniversitatibus studio-  
rum generalium concessis: uti in puncto Indulti beneficia in  
Novembri tantùm uno anno, seu Novembri & Ianuario si-  
mul alternis annis conferendi, Vniversitati Lovaniensi à Pau-  
lo ejusce nominis V. Pontifice Maximo concessi sæpiùs à Ro-  
ta Romana fuit decisum, ut proinde aberrarit *Sylvius variar.  
resolut. part. 1. verb. vicaria perpetua.* contrarium resolvendo.  
Nam alioqui ad Ordinarios inferiores, seu illos, quibus Paro-  
chiales Ecclesiæ sunt unitæ, non spectaret in omni etiam men-  
se nominatio ad prædictas vicarias, & ad Ordinarium Episc-  
opum Diocesæ in hisce institutio, sicut expressè statuit  
*Piana Constitutio.* Præterea si Sedes Apostolica in mensi-  
bus sibi reservatis non confert vicarias, sed illæ providentur  
ad nominationem & institutionem Ordinariorū ut *suprà §. 9.*  
non potest ceteri concessum hujusmodi jus Vniversitatibus,  
seu aliis Indulta Apostolica habentibus; quia ipsi non possunt  
prætere jus conferendi, nisi eo modo, quo Papa confer-  
ret, si non concessisset Indultum, *Gonzalez ad reg. 8. §. 4. proem.  
num. 24. Rota decis. 442. num. 1. & 2. part. 1. di versor. & nemo plus  
juris ad alium transferre potest, quàm ipse habeat. reg. 54. ff. de  
reg. iur.* Huc accedit, quod Papa non intendat per hujusmodi  
Indulta lædere jus Ordinariorū, quod patet ex eo, quod so-  
lùm concedantur in mensibus semper reservatis, & non Or-  
dinariis, uti in Indulto Vniversitatis Lovaniensis. Ac facit et-  
iam vulgaris regula, quod privilegium & dispositio quæ-  
libet Papæ debeat intelligi sine præjudicio alterius, *c. dudum.  
31. de privileg. c. super eo. 15. de off. deleg. & c. quamvis 8. de rescrip.  
in 6. l. 2. §. si quis à Principe. ff. ne quid in loc. publ.* cum infinitis  
cumulatis per *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 28. num. 2. & seq.* Ideoq;  
necessum est, ut Papa nominatim deroget Regulæ olim XVII.  
nunc XVIII. Cancellariæ Apostolicæ *de iure quasit. non tollen.*  
quæ Regula habet locum in quocumque iure etiam mini-  
mo, *Casar de Grassis decis. 1. num. 4. de verb. significat. Seraphin. de-  
cis. 1082. num. 2.* etiamsi ius competat ex privilegio, *Casar de Grass.  
suprà num. 2. & seq. Chokier ad reg. 15. aliàs 16. cancell. per tot. ubi*  
plura

*Nec sub  
Indultis  
etiam V-  
niversita-  
tibus con-  
cessis.*

plura ea de re ponuntur exempla. Hinc quando Papa dat facultatem alteri auctoritate suâ conferendi, semper censetur concedere cum clausula *sine præiudicio iuris alterius, quasiti in re, vel ad rem.* *VV ames. in consil. canon. tom. 1. consil. 236. num. 1. Chokier loc. cit. num. 16.* cui Papa non vult derogare, nisi id expressè declarat.

*Respondetur ad argumenta contraria.*

§. II. Nec obstant verba quantumcumque generalia eiusmodi privilegiorum, quia debent restringi, ut non operentur in præiudicium tertii, *Gonzalez loc. pract. num. 7. & 8. Chokier supra. num. 8. & 9.*

*Adiicitur Constitutio Pii Papæ 5.*

§. 12. Pro maiori autem Lectoris notitia *Pianam* istam Constitutionem hîc adscribere placuit.



## PIUS PAPA V.

*Exordium.*



**A**D perpetuam rei memoriâ, Ad exequendum Pastoralis officii debitum, vigilantibus studiis intendentes ad ea, per quæ Cathedralium, aliarumve Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, beneficiorum, seu Collegiorum, ac aliorum piorum locorum prospero profectui, Diviniq; cultus augmento, & opportunæ congruæq; sustentationi, Parochialium Ecclesiarum eisdem unitarum statui feliciter dirigendo, & personarum in illis curam animarum exercentium utilitati rectâ ratione, & providâ moderatione consuli, & salubriter provideri valeat, libenter interponimus Nostræ sollicitudinis partes.

*Pii Papæ 5. Constit. 47. Bullaris tom. 2.*

*Ordinarii excedebant serm. nos Con. c. l. i. Tridentini*

**N**um. I. Hinc est, quod Nos, ad quorum aures (quod non sine animi Nostri molestia referimus) pervenit, nonnullos ex venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis,

chis,



chis, Archiepiscopis, & Episcopis, in deputandis vicariis, ac in assignatione portionum vicariis perpetuis Parochialium dictis Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis, Collegiis, vel locis piis perpetuò unitarum ex Concilio Tridentino faciendâ, ita modum excessisse, ut parùm, aut nihil ex fructibus, redditibus & proventibus Parochialium Ecclesiarum sic unitarum, Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis, Collegiis, aliisve locis piis remanserit; ob idq; multæ ortæ sint super hoc controversiæ circa interpretationes Decreti dicti Concilii.

II. Nos ad eas tollendas animum intendentes, considerantesq; uniones ipsas ideò à Prædecessoribus Nostri factas esse, ut ex redditibus, & emolumentis beneficiorum unitorum Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, beneficiis & locis piis, quibus illa uniuntur, faciliùs onera eidem incumbentia supportentur, & promptiùs à Ministris Ecclesiasticis in eisdem Divina officia celebrentur, hospitalitas serveatur, aliaq; charitatis opera exercentur: ac etiam ut nihilominùs cura animarum dictarum Parochialium laudabiliter exerceretur, motu proprio, & ex certa Nostra scientia, auctoritate Apostolicâ, hâc Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione statuimus & ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius Concilii mente fuisse colligimus, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos præfatos in assignatione portionis ipsis vicariis perpetuis ex prædicto Concilio ipsorum Prælatorum arbitrio faciendâ, ita se continere & arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorû annuorum summa, computatis

*in assignatione portionum vicariis perpetuis faciendâ.*

*Declarat ideò Pontifex ipse quantitatem ipsarum portionum.*

tatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omninò assignentur, nisi vicariis solitum fuisset plus assignari, sive in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaq; numerata, fundo, seu alia re stabili portio hujusmodi constituatur: cujuscumque valor Parochialis Ecclesia unita fuerit, & habita etiam ratione reddituum, & onerum loci, cui parochialis ipsa unita fuerit: ita quod portiones ultra, vel infra dictas summas scutorum centum, & scutorum quinquaginta hætenus assignatæ, vel in posterum forsan assignandæ, quoad excessum & defectum hujusmodi nullius roboris & momenti existant, & ad summas prædictas reductæ & auctæ respectivè censeantur; nisi tamen valor annuus ipsius parochialis unitæ habitæ ratione, ut præfertur, minor sit quinquaginta scutis, quo casu portio assignata, vel assignanda vicario perpetuo non debeat excedere summam annuam valoris dictæ parochialis, sed sufficiat, quod omnes fructus ejus dumtaxat attribuuntur ipsi vicario perpetuo.

*Et ad quos  
spætes omnes  
solvendi  
quinden-  
nari pro ip-  
sis portio-  
nibus.*

III. Et quoniam iniquum esset, eos qui commodis privantur, eadem onera, quæ priùs sustinebant, debere sufferre, volumus & statuimus, quod Ecclesiæ, Monasteria, Collegia, beneficia, & pia loca hujusmodi, in quorum Parochialibus Ecclesiis unitis continget vicarias prædictas erigi, pro quantitatibus fructuum ipsis vicariis perpetuis assignatorum, ad solutionem quindenriorum, quam Nobis & Cameræ Apostolicæ solvunt, ulterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quæ de fructibus dictarum Parochialium percipiuntur. Ita tamen quod vicarii perpe

perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere à Sede Apostolica novam provisionem suæ deputationis, & solvere annatam pro portione fructuum, reddituum, & proventuum certorum sibi assignata, & expedire literas Apostolicas, nec aliàs ad possessionem dictarum vicariarum perpetuarum, & servitium earundem parochialium admitti possint, nisi solutâ annatâ, & expeditis literis Apostolicis novæ provisionis, ut præfertur, alioquin integrum quindennium solvi debere, nec vicarii prædicti antea tutâ conscientiâ fructus percipere possint.

IV. Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum prævio examine, & approbatione deputentur.

*Es facultas eligendi vicarios.*

V. Et si dictæ parochiales unitæ erunt monasteriis Regularium Mendicantium, possint à superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus, quos si Ordinarii prævio examine per se, aut eorum vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, ita pro idoneis approbaverint, teneantur in vicarios, ad nutum tamen suorum superiorum amovibiles, deputare. Idemq; etiam servetur in Regularibus Monachis tantùm, dummodò in ea parochiali, in qua unus ex Monachis fuerit servatâ formâ prædictâ vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis Monachis.

*Facultas mendicantium circa vicarias ipsius unitis.*

*Decretum  
irritans.*

VI. Sicq; per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi potestate, iudicari & interpretari debere, nec non irritum & inane decernimus, quicquid secus à quoquam quavis auctoritate attentatum forsitan est hæctenus, vel in posterum contigerit attentari.

*Clausula  
derogato-  
riæ.*

VII. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscumque,

*Iussu pub-  
licæ rationis.*

VIII. Volumus autem, quod præsentis literæ in Cancellaria Nostra Apostolica, & ad valvas Principis Apostolorum de Vrbe de more publicentur, & inter Constitutiones perpetuò valituras describantur.

*Exemplo-  
rum fides.*

IX. Et quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kal. Novemb. Pontificatus Nostri anno secundo,

*An vica-  
ria perpe-  
tua debe-  
ant confer-  
ri per con-  
cursum.*

§. 13. Sed quoniam modò versamur in materia vicariorum perpetuarum, offert se celebris controversia, an nimirum eadem prævio examine per concursum conferri debeant, vel non? quam quidem quæstionem iam pridem, & in dies agitari videmus inter Episcopos Belgij, eorumve ministros & officiales, ac Clerum nostrum Leodiensem; illis vacantes in Diocæsesibus suis, vicarias Parochialium Ecclesiis, seu Monasteriis  
Leodi-

Leodiensibus unitarum, non secus, atque alias quascumque Ecclesias Parochiales concursui obnoxias prætendentibus, & de facto exponentibus, frustra resistente & protestante Clero Leodiensi. Paucis itaque sensum meum edicam.

§. 14. *Respondeo secundo* vicarias perpetuas minimè per concursum conferendas, sed solum ad nominationem illorum, quorum dignitati, vel Ecclesiis Parochiales sunt unitæ & annexæ, de iis providendum, cum examine tamen simplici & approbatione Episcopi Diocæsani. Constat ex c. extirpanda 30. §. qui verò de præben. c. unico. de capell. monach. Clem. 1. de iure patron. quia verò à iure antiquo recedendum non est, nisi aliud exprimat in novo, l. præcipimus. 32. C. de appellat. id ipsum etiam disertis verbis colligitur ex antedicta Constitutione Pii V. *Volumus insuper & ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum prævio examine & approbatione deputentur. Quid clarius?*

*Resolvitur negative ex Piana Constitutione.*

§. 15. Nec dici potest, quod Piana Sanctio correctoria sit Concilii Tridentini sess. 24. cap. 18. ut malè opinatur Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 53. siquidem Concilium Tridentinum ibidem non de vicariis, sed de Parochialibus Ecclesiis manifestè statuit, *Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 2. num. 292. Zypaus in consultat. canon. lib. 1. tit. de elect. consultat. 2. Rota apud Cavaler. decis. 599. num. 1. uti legenti patebit. Vacare enim ibidem Ecclesias dicit, nunquam vacant unitæ: in vacantibus vicarios constitui iubet, vicarii vicarios non habent. clericos. 4. de off. Vicar. De Rectore provideri Ecclesiæ dicit, hinc tantum deputantur vicarii, cum illi, quibus unio facta est, ipsi Rectores sint: conferri ibi parochiales Ecclesiæ dicuntur; denique totus Concilii contextus sonat ea, quæ accidunt in provisione ipsius tituli Ecclesiæ parochialis, non autem in subrogatione vicarij, penes quem solum exercitium curæ residet; & idcirco in vicariis sufficit sola nominatio eius, cui Ecclesia est unita, & examen simplex, atque approbatio Episcopi Diocæsani, non autem examinatorum synodalium. *Garcias loco præcit. num.**

*Quæ in hoc non est correctoria Concilii Tridentini*

cit. num. 293. & elegantissimè Zypæus d. consultat. Rota decis. supra. cit. apud Cavaler. Et ita persapè tum à S. Congregatione Concilij Tridentini interpretum fuit declaratum, ut referunt Zerola in praxi Episcop. part. 2. verb. Vicarius. §. 7. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 8. quest. 9. num. 93. & 94. Garcias loc. cit. à num. 289. usque ad num. 296. Atque hanc sententiam unanimiter & passim tenent Doctores, Zerola loc. cit. Flamin. Paris. supra. Gonzalez ad reg. 8. gloss. §. 4. 3. num. 53. & gloss. 6. num. 161 & 162. V. golin. de off. & potest. Episc. cap. 50. §. 3. num. 8. Quaranta in sum. Bullary verb. beneficiorum Parochialium collatio. in addit. vers. Tertio quaritur. Piasec. in praxi Episc. part. 2. cap. 5. art. 3. n. 9. vers. neque fit concursus. Less. de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 16. num. 82. Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 2. num. 289. & seq. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 60. num. 32. & de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 35. & 45. Gauantus in enchirid. Episcop. verb. Vicarius perpetuus. num. 8. Zypæus loc. praxit. & in analyt. iur. Pontif. nov. lib. 1. tit. de elect. sub. num. 15. qui unicus, uti nationalis ipsis Belgis deberet esse pro mille. Quæ sententia etiam sæpiùs canonizata fuit à Supremo Rotæ Romanæ Tribunali, tã in recent. part. 1. decis. 102. num. 1. & seq. & part. 2. decis. 323. num. 8. ac decis. 777. num. 1. & seq. quàm apud Cavaler. decis. 274. num. 4. & 5. item decis. 595. num. 4. & 5. ac decis. 599. num. 1.

Collatio-  
nos autem  
vicariarū  
aliter fa-  
cta irrita  
sunt.

Diluuntur  
argumenta  
contraria.  
Primum.

§. 16. Quin si dictæ vicariæ conferantur per concursum, irritæ omninò sunt eiusmodi collationes ex Decreto irritanti in dicta Constitutione Pii V. adiecto, uti decidit Rota apud Cavaler. praxit. decis. 595. num. 5. & decis. 599. sub fin. de cuius clausulæ vi & potestate vide infra. tit. 3. dub. 2. §. 8.

§. 17. Non obstat primò, si dicatur, quod à iure disposita in Pastoratibus, locum habeant in vicariis eorum; siquidem ad ea pertinent, quæ personarum capacitatem, ætatem, ordines, residentiam, beneficiorum pluralitatem, idioma, & his similia respiciunt, eoq; pertinent Canones id innuentes. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 18. & seq. non autem ad illa spectant, quæ respiciunt vicariorum constitutionem, quatenus alios concernit, id est, patronos, collatores &c. vel eos, quibus

quibus ius ministros subrogandi, & vices demandandi competit. ita *Zypæus in consultat. canon. lib. 1. de elect. consultat. 2.*

§. 18. Nec obest *secundò*, quod Parochiales iuris patronatus Ecclesiastici subiaceant concursui, adeoq; & vicariæ personis Ecclesiasticis, seu earum Ecclesiis unitæ. Nam negatur consequentia, cum longè diversa sit ratio unius ab alia; qui enim sub patronatu est, verus omninò Rector est, nec potest patronus administrationi illius se immiscere. *c. noverint. 10. q. 1. c. præterea. 4. de iure patron. Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 3.* qui autem unitam habet parochiam, Rector est, alter vicarius & minister: maior hinc nexus est; maior auctoritas: cui quò minùs derogetur, & concordia à dependentia fulciatur; mirandum non est, si non æquè in unitis, atque patronatui subiectis Ecclesiis concursus præscripserit Concilium Tridentinum. *Zypæus loc. præcit.*

*Secundum*

§. 19. Advertendum tamen, quando unio non est ipsius tituli, sed tantum bonorum, decimarum &c. ita ut is, cui bonorum unio fit, nullum ius in beneficio retineat, nullamve in Ecclesia auctoritatem, tunc cui facta est unio, non fit Rector, aut primitivus Pastor, sed Sacerdos in ea Ecclesia constitutus, actu & habitu est Rector, & is cui talis facta est unio, proventuum utilitatem possidet instar prædii, non autem tituli spiritualis; & tunc secus est dicendum, & concursus faciendus, uti in Parochialibus, à quibus tales vicariæ nihil differunt, *Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 2. n. 299. 300. & 301. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. n. 34. & 35. Zypæus in consultat. canon. loc. cit. Rota decis. 710. num. 1. & 2. part. 2. recent.*

*Ubi tamen unio tantum esse facta bonorum, non autem tituli beneficii, concursus habet locum.*

§. 20. Vicariæ autem, ubi deest instrumentum unionis vel annexionis, probantur & dignoscuntur ex diversis signis; atque imprimis ex titulo Domini, quod v. g. dignitates, Collegia, vel Monasteria ius principalis Pastoris prætendentia, in locis vicariarum habent, iunctâ perceptione decimarum; dein ex oneribus, si nimirum sustineant omnia onera Ecclesiæ unitæ, tam ratione visitationis, quàm quæ pro reparatione & fabrica totius, vel partis eiusdem Ecclesiæ debentur, *Rota decis. 102. n. 243. & 4. part. 1. recent.* Item si teneantur suppeditare dictis Pa-

*Vnde vicariæ dignoscantur.*

P

rochi-

rochiis calicem, Missale, aut alia huiusmodi, *Stephan. D'Aluin. in trac. de potest. Episc. cap. 15. num. 3.* Potissimum tamen pro vicariis comprobandis argumentum est certæ portionis assignatio; merito enim receptum est, quod ubi certa portio Canonicis vel Monachis assignatur, & reliqui fructus vicario relinquuntur, ipse non propriè vicarius, sed parochus principalis censerì debeat, & bonorum Ecclesiasticorum habere rei vendicationem; non item, ubi certa portio assignatur vicario, ut patet in exemplo quotidiano, quando unio fit accessoriè, aut dum intra ambitum parochiæ, ob illius latitudinem, vel multitudinem populi nova Ecclesia ædificatur, & sacerdos ibidem constituitur cum certa portione; nam tunc illi, quibus unitæ sunt Parochiales, sicut & Parochi matricis, censentur Rectores principales, alii autem, quibus certa portio ex fructibus seu decimis assignatur, vicarij, *gloss. inc. exposuisti. 33. verb. necessitas. de præben. Abb. ad idem c. exposuisti. num. 10. & addit. ad eundem inc. postulasti. 27. de rescript. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. n. 16. Basseus in floribus Theolog. practic. verb. Vicarius. num. 5. Zypaus in consultat. canon. tit. de elect. consultat. 2. Rota decis. 710. num. 3. part. 2. recent. & apud Cavaler. decis. 595. num. 1. & 2.* Nam cum Parochus ratione sui beneficij omnia iura tam auctoritativa seu honorifica, quam utilia, ut sunt oblationes & decimæ, per districtum suæ parochiæ habeat sibi competentia, planum est, quod Sacerdos in ea constitutus cum congrua portione, parte verò iurium, oblationum, aut decimarum priori Parocho reservatâ, non sit in suo districtu Parochus ex proprietate sermonis, sed vicarius, manetq; alter Parochus primitivus, qui plerumque patronus Ecclesiasticus nominatur. Quod præcipuè obtinere solet in dignitatibus, & Collegiis Ecclesiasticis, quibus in dotem maximè olim altaria, atque Ecclesiæ Parochiales assignari, vel uniri consueverunt, quo titulo vel desuis Collegiis aliquè Sacerdotem, vel alium constituere solent auctoritate Episcopi Diocesani instituendum, qui Parochialia munia subeat, perceptâ ex proventibus Parochialibus portione competente, reliquis



reliquis autem dignitati, aut Collegio relictis: & qui sic constituuntur, procul dubio sunt vicarij: alij autem primitivi Pastores, apud quos cura animarum principaliter, seu habitualiter; apud vicarios verò minùs principaliter & exercitio tenus, seu actualiter residet: ideoq; dicuntur vicarij Rectores curæ animarum, licet propriè non sint Rectores Ecclesiæ. *gloss. in c. super eo. 6. verb. annexæ. de praben. in 6. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 16. & seq. Layman Theolog moral. lib. 4. trac. 2. cap. 9. sub num. 8. Tametsi vicarij vulgari sermone, & ab exercito Pastores dicantur. Constant hæc ex c. ad audientiam. 3. de Eccles. edifican. & Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 7. & sess. 25. de reform. cap. 16. Zypæus loc. cit. Barbosa supra num. 26.*

D V B I V M VIII.

*An Concordata Germania capiant beneficia, in quibus quis habet regressum, vel ius Coadiutoria: ita ut Ordinarii ea in mensibus suis vacantia, in vim eorundem Concordatorum liberè conferre possint?*

S. I. **N**otandum primò, regressum nihil aliud esse, quàm *Regressus quid sit.* reversionem ad beneficium cessum, seu dimissum; quod ius datur à solo Papa, quando nimirum in bullis resignationis beneficii concedit, ut si resignatarius præmoriatur, beneficium resignatum revertatur ad resignantem: ob publicam scilicet Ecclesiæ utilitatem, & personæ resignantis merita: unde liquet, quod regressus habeat causam iuris de præterito, & non simpliciter juris de futuro, cum supponat ius pristinum, sicut privatio habitum. *Rebuff. in praxi part. 3. tit. de regressibus. Mandosius de signat. grat. tit. regressus.*